



# **Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus**

**Falck, Joseph**

**Augustae Vindelicorum, 1740**

Caput I. De Tactu & Tactili.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

## CAPUT I.

## De Tactu &amp; Tactili.

**D**icendum 1. Organum tactus sunt omnes membranosa corporis partes. Prob. 1. experientia, quia ideo adeps, ossa, ungues, capilli &c. sensationem non efficiunt, quia illae corporis partes nerveis fibris carent: nulla enim potest alia ratio afferri. 2. Quod aliqua pars corporis pluribus fibris nerveis contexta est, eò exquisitioris est sensus. 3. Ratione, quia sensatio operatio est valde nobilis, ad quam subtiliores requiruntur spiritus & instrumenta, quam ad vegetationes: ergo illa duntaxat organa sunt ad sensationem apta, quae huiusmodi spiritus continent; atqui nervi & nervae fibrae sunt propria organa vehendis & continendis spiritibus destinata, quos continuo ex cerebro & medulla spinali recipiunt: ergo dicendum est in ijs residere proprium tactus organum. Hinc est, quod si huiusmodi spiritibus intercludatur aditus, uti contingit in apoplexia & aliis morbis, tunc etiam deficiat tactus sensatio. Et revera Malpighius, Stenonius, Veslingius & alij microscopiis deprehenderunt membranas interiores, & totam cutis substantiam ex innumeris arteriolarum, venularum, & nervulorum ramis contextam esse, & ex illa verus cuticulam assurgere nerveas papillulas pyramidales penè innumeras.

Dicendum 2. Objectum tactus, si Recentioribus credimus, est omne & solum corpus impenetrabile, quod nempe, utpote minus subtile, potest huiusmodi fibras & papillas nerveas per totum corpus diffusas comprimere, titillare, lacerare, aut aliter movere: si verò credimus Peripateticis, sunt etiam qualitates tactiles, quae possunt organum tactus afficere, uti calor, frigus &c. Patet ab experientia, & utriusque Scholae principii. Imprimis enim omnia illa corpora tactu percipiuntur, quae valent huiusmodi impressionem facere, quae si vehemens sit à corpore scabroso, sensatio erit molesta; si verò levis, poterit esse jucunda. Corpus autem immediatè applicari debet organo, alias sensatio non percipitur, quia non valet nervos commovere: ita etiam corpuscula ignea, si copiosius intromittantur, & fibrillas lacerent, causant sensationem, quam dicimus unctionem. Si verò calor sit qualitas ab igne distincta, tunc dicendum est ad mentem Peripateticorum illam propagari, & produci in organo, quae deinde unà cum illo, & anima, atque aliis requisitis producat sensationem. Hic si utrique parti concedas aliquid, medio tutior ibis, si nempe dicas, ignem v.g. agere per seipsum aut per effluvia, & simul per calorem sibi proprium.

## CAPUT II.

## De Gustu &amp; Sapore.

**D**icendum 1. Organum gustus videtur residere in papillis nerveis, ab intima & nervosa linguae membrana profectis, & in extima illius superficie assurgentibus, quae per fauces, & subinde in palato, ut in piscibus extenduntur. Prob. 1. ab experientia, quia illud est gustus organum, quod à rebus sapidis impressiones gustus recipit: tales sunt dictae papillae: ergo. 2. Quia